DECLARATIONES
SACRÆ CONGREGATIONIS
CONCILII

Ad Dubia ſuper Conc. Trident. Cap. XII. ſeſs. 24.
de Reformatione.

An Epiſcopus poſſit cum conſilio Capituli deſignare, & diſtribuere quibus ex Canonicatibus Cathedralis quiſq; Ordo annexus eſſe debeat? Et An Epiſcopus ſui Capituli conſilium in hoc ſequi teneatur?

CÆSENÆ Apud Petrum-Paulum Receputum Epiſcopalem Typographum 1680. *Superiorum permiſſu.*

Dubium Diſtributionis Ordinum

IN quadam Cathedrali, illi Canonici, qui conſtituti ſunt in Ordine Presbyteratus, munia Sacerdotalia in Cantandis Miſſis omnes exercent, ex quo videtur deſumi poſſe, quod tales Canonicatus annexum habeant ordinem Presbyteratus. Verùm nullum inuenitur monumentum ſcriptum, num dicti Canonicatus omnes annexum habeant ordinem Presbyteratus, vel quales, & quot Presbyteratum, Diaconatum, vel Subdiaconatum; imò in compluribus prouiſionibus túm Apoſtolicis tum Ordinariis collati fuerunt Canonicatus Clericis, qui neque actu erant Presbyteri, neque in ætate, intrà annum ad Subdiaconatum aſcendendi, & quando erant minores vltra annum, obtinuerunt à Sancta Sede diſpenſationem, adiecto tamen onere, vt cumprimum ad ætatem legitimam perueniſſent, ad Sacrum Subdiaconatus ordinem aſcenderent. His præſuppoſitis, Quæritur

An Epiſcopus cum conſilio Capituli poſſit deſignare, ac diſtribuere, prout ipſe viderit expedire, quibus, & quot Canonicatibus debeat in poſterum eſſe annexus Ordo Presbyteralis, Diaconalis, & Subdiaconalis, dummodo tàmen non ſolum dimidia pars, ſed ex tribus ſaltèm duæ ſint Presbyterales; attento, quod præſupponitur adeſſe conſuetudinem omnes Canonicatus eſſe Presbyterales?

Die prima Iunii 1680 Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum reſpondit affirmatiuè.

F. Cardinalis Columna Præfectus

Loco ✠ *Sigilli*

S. Archiep. Brancaccius Epiſcop. Viterbien. Secretarius.

Gratis etiam quo ad Scripturam.

Dubium Diſtributionis Ordinum

IN Caſu propoſito die prima Iunii 1680. Sacra Congregatio cenſuit, poſſe Epiſcopum cum conſilio Capituli deſignare, ac diſtribuere quibus ex Canonicatibus Cathedralis quiſque Ordo annexus eſſe debeat. Quæritur nunc

An Epiſcopus in tali deſignatione, ac diſtributione teneatur non ſolùm exquirere conſilium Capituli, verum etiam ſequi?

Die 23. Nouembris 1680. Sacra Congregatio Eminentisſimorum S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, cenſuit, Epiſcopum teneri quidem exquirere conſilium Capituli, non autem ſequi.

F. Cardinalis Columna Præfectus.

S. Archiep. Brancaccius Epiſcop. Viterbien. Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

Gratis etiam quo ad Scripturam.